

tur: artem condere ceperunt, quæ hominem in sanitatis statu, quantum possibile est, conservaret, & in morbos prolapsam pristinae valetudini restitueret; eamq; etiamnum excolunt & in pretio habent.

Medicina est Ars.

Disciplinarum distinctio.

Verum ad quodnam disciplinarum Genus pertineat: in cōtroversiam à medicis vocatur: dum alii artem, alii scientiam, alii partim artē, partim scientiam esse statuunt. Nos cum Hippocrate, Aristotele, Galeno, Avenroe, aliisq; doctissimis viris, Artem statuimus esse Medicinā; ea de causa, quod non cognitionem solum, sed effectum sanitatis sibi habeat propositam. Disciplinarum enim distinctio proximè ex fine petitur: Piniūm verò distinctionem pariunt objecta. Nam cum, ut est apud Aristotelem, 6. Ethic. c. 3. & 4. quædam sint ἐξ ἀνάγκης ὄντα ἢ γινόμενα, ἃ ἐν αὐτοῖς τὴν ἀρχὴν ἔχοντα: quædam ἐνδοχόμενα καὶ εἶναι, καὶ μὴ εἶναι, καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιεῖντι: illas quidem res tractamus, ut solum eas cognoscamus; cum eas, ut quæ solius Naturæ opera sunt, efficere non possimus: in harum verò tractatione versamur, non solum ut eas cognoscamus, sed ideo eas cognoscimus, ut eas efficere possimus.

Discipline Theoreticæ.

Ex quo duplici & rerum & tractationis genere, duo etiam disciplinarum genera oriuntur. Nam quæ in rebus illis, quæ solius Naturæ opera sunt, & à nobis fieri nō possunt, solum cognitionis & scientiæ gratia versantur, & nihil præterea

quærunt, Theoreticæ dicuntur: quæ verò in iis, quæ aliter atq; aliter sese habent, & à nobis fieri possunt, non cognitionis modò, sed imprimis operationis gratia occupantur, Practicæ vocantur. In quo genere etiam medicinam collocandam esse, & ex fine, quem habet propositum, & ex rei, quam tractat medicus, natura, cuius patet. Medicinæ enim finis est non cognitio solum, qui scientiæ; sed *ᾧ ὄντι*, qui artis finis est. Et quemadmodum, ut Aristoteles, 2. Ethic. c. 2. scribit. ἔχ', ἢ εἰδῶμεν τὴν ἴσιν ἢ ἀεὶ τὴν σκοπούμεθα, ἀλλ' ἢ ἀγαθοῖ ἡρώμεθα: ita medicus agit de corpore humano, de sanitate, de temperamentis, de humoribus, de viribus plantarum, non scientiæ gratia, ut naturam, causas & effectus rerum naturalium agnoscat; sed ut medeatur, & corporis humani temperiem, naturalemq; constitutionem, seu sanitatem conservet, & si amissa sit, eam restituat.

Disciplina Practicæ.

Disciplina Practicæ.

Scientiæ verò nomen etsi nonnunquam etiam Medicinæ attribuat, ac Galenus ipse, cap. 1. art. medic. definitionem Herophili, qua Medicina definitur; scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum, retineat: tamen tum scientiæ nomen non propriè, ut ab aliis habitibus intellectus distinguitur, sed latiore significatione, ut scilicet scientiis & artibus communiter tribuitur, usurpatur: quod Galenus ipse fatetur. Addit enim: τὴ τῆς ἰατρικῆς ὀνόματι κοινῶς τὴ, καὶ ἰδίως ἀκέρως γέν.

Medicina quæ ratione dicatur scientia.

Pro-